Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Liber Thobie: prologus

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

Et ex filiis banni heremias et mo
odias et abram et ioel et baneas et
pelias et ionas et marimoth et eli
asib et mathaneus et elialis et zo
risas et dielus et samedius et sam
bris et iosefus. Et ex filiis nober. p
daclus et mathathias et sabedus
et zereda. sedim et iessei. baneas.
Omnes isti coniunxerunt sibi uxores a
lienigenas. et dimiserunt eas cum filiis.

IX

Et inhabitaverunt sacer
dotes et levite et qui erant ex
israel in ierusalem et in tota regione in
novilunio mensis septimi. Et erant
filii israel in commemorationibus suis. Et
congregata est omnis multitudo simul
in aream que est ab oriente porte sacre.
Et dixerunt esdre pontifici et lectori ut
afferret legem moysi que tradita est
a domino deo israel. Et attulit esdras pontifex
legem omni multitudini coram a viro usque
ad mulierem et omnibus sacerdotibus au
dire legem novilunio mensis septimi.
Et legebant in area que est ante sacrum porticum
templi a prima luce usque ad vespe
ram coram viris et mulieribus. Et dede
runt omnes sensum ad legem. Et stetit es
dras et lector legis super ligneum tribunal
quod fabricatum erat. Et steterunt ad eum
mathathias. samus. ananias. aza
rias. urias. ezechias. et balsamus
ad dexteram. et ad sinistram. faldeus
misahel. malachias. abustas. sab
nabadias. et zacharias. Et assumpsit
esdras librum coram omni multitudine. presi
debat enim in gloria in conspectu omnium. Et cum
absolvisset legem omnes recti steterunt.
Et benedixit esdras dominum deum altissimum
deum sabaoth omnipotentem. Et respondit omnis
populus. amen. Et elevatis sursum manibus
procidentes in terram adoraverunt dominum.
Ihesus et banaeus et sarabias et iadin
et acub et sabbateus et calites et a
zarias et ioradus et ananias et fi
lias levite qui docebant legem domini
et multitudinem legebant legem domini
proferebant singuli eis qui intelligebant
lectionem. Et dixit attarates esdre
pontifici et lectori et levitis qui doce
bant multitudinem dicens. Dies hic
est sanctus domino. Et omnes flebant cum audis
sent legem. Digressi ergo mandu
cate pinguissima queque et bibite
dulcissima queque et mittite mu
nera hiis qui non habent. Sanctus est enim hic
dies domini et nolite mesti esse. dominus enim
clarificabit nos. Et levite denuntia
bant in publico omnibus dicentes. Dies
hic est sanctus nolite mesti esse. Et abierunt
omnes manducare et bibere et epulari
et dare munera hiis qui non habent ut e
pularentur. Magnifice enim sunt exaltati
verbis quibus edocti sunt. Et congregati
sunt universi in ierusalem celebrare letitiam
secundum testamentum domini dei israhel.

Explicit liber esdre ii. Incipit prefatio in
librum Thobie

Cromatio et
heliodoro
episcopis ieronimus presbyter
in domino salu
tem. Mirari
non desino ex
actionis vestre instantiam. Exigitis
enim ut librum chaldeo sermone conscriptum
ad latinum stilum traham. librum utique
thobie quem hebrei de cathalogo

diuinarum scripturarum secantes hiis
que agiographa memorant mancipa
runt. Feci satis desiderio uestro. non tamen
meo studio. Arguunt enim nos hebreorum
studia. et imputant nobis contra suum cano
nem latinis auribus ista transferre. Sed
melius esse iudicans phariseorum displi
cere iudicio et episcoporum iussionibus deser
uire. institi ut potui. Et quia uicina est chal
deorum lingua sermoni hebraico. utri
usque lingue peritissimum loquacem re
periens unius diei laborem arripui.
et quicquid ille michi hebraicis uerbis expres
sit. hec ego accito notario sermonibus
latinis exposui. Orationibus uestris merce
dem huius operis compensabo. cum gratum
uobis didicero me quod iubere estis dignati
complesse. In anno vi. ezechie regis
salmanassar rex assyriorum capta
samaria cum rege eius osee. transtu
lit israel in assyrios. et collocauit eos
in ala et in abor iuxta fluuium gozan
in ciuitatibus medorum. Liber thobie ser
monum filii tobyel. filii ananyel.
filii aduel. filii gabyel. filii asyel.
filii gabaliel. ex tribu neptalym.
qui captiuus ductus est in diebus sal
manassar regis assyriorum. Explicit
prologus. Incipit liber Thobie.

Thobias ex
tribu et ciui
tate neptalim
que est in superiori
bus galylee
super naason
post uiam
que ducit ad
occidentem in sinistro habens ciuitatem
sephet. cum captiuus esset in diebus
salmanassar regis assyriorum in captiui
tate tamen positus. uiam ueritatis non dese
ruit. ita ut omnia que habere poterat cot
tidie concaptiuis fratribus qui erant ex
genere suo impertiret. Cumque esset iuni
or omnibus in tribu neptalim. nichil
tamen puerile gessit in opere. Denique cum
irent omnes ad uitulos aureos quos ierobo
am fecerat rex israel. hic solus fugiebat
consortia omnium; et pergebat ad ierusalem ad
templum domini. et ibi adorabat dominum
deum israel. omnia primitiua sua et decimas
suas fideliter offerens. ita ut in tercio
anno proselitis et aduenis ministraret
omnem decimationem. Hec et hiis similia
secundum legem dei puerulus obseruabat.
Cum uero factus esset uir. accepit uxorem an
nam de tribu sua. Genuitque ex ea fi
lium. nomen suum imponens ei. Quem ab
infantia timere deum docuit. et abstinere
ab omni peccato. Igitur cum per captiuitatem de
uenisset cum uxore sua et filio in ciui
tatem niniue. cum omni tribu sua. et omnes ede
rent ex cibis gentilium. iste custodiuit
animam suam. et numquam contaminatus est
in escis eorum. Et quia memor fuit domini
in toto corde suo. dedit illi deus gratiam
in conspectu salmanassar regis. et de
dit ei potestatem quocumque uellet ire. habens
libertatem quecumque facere uoluisset. Per
gebat enim per omnes qui erant in captiui
tate. et monita salutis dabat eis. Cum autem
uenisset in rages ciuitatem medorum. et ex
hiis quibus honoratus fuerat a rege
habuisset x. talenta argenti. et cum
multa turba generis sui gabelum egen
tem uideret qui erat ex tribu eius.
sub cyrographo dedit illi memoratum
pondus argenti. Post multum uero temporis